



1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.  
14.  
15.  
16.  
17.  
18.  
19.



B. C. D.  
DISSERTATIO MEDICA  
INAUGVRALIS  
DE  
MORBIS INFAN-  
TVM RECENS  
NATORVM,

Quam,  
*Summo Archiatro DEO adjuvante,*  
ex Indultu Amplissimæ & Gratosissimæ  
Facultatis Medicæ,  
*in Almâ Vniuersitate Patriâ,*  
pro summis in arte Asclepiadeâ privilegiis & juribus  
Doctoralibus ritè consequendis,

*Solenni examini*

horis locoque solitis  
subjicit

*d. 30. Maji, Anno 1711.*

CASPAR DANIEL BARTENSTEIN,  
Argentinenfis.

---


ARGENTORATI,  
Literis DANIELIS MAAGII.



DEO,  
PATRIÆ,  
PATRONIS  
ATQVE  
AMICIS

*Sacrum hoc esto!*





## Prooemium.



elicissima sanè hominum fors  
fuisset, si, quales initio rerum à Deo  
creati erant, jugiter permanissent, opti-  
mis animæ donibus divites, & indefatiga-  
bili corporum robore, imò ipso immor-  
talitatis dono instructi. At verò, postquam

Protoplasti divinam legem transgressi sunt, totum genus hu-  
manum primævâ istâ beatitate excidit, ac perquàm miseram  
subiit conditionem. Nam, amissis animæ ornamentis, mens  
humana in cognitione veri caligat, voluntas in agendo ad  
prava consilia inclinatur, affectusque mirum in modum pertur-  
bantur, corpus verò varii generis morbis obnoxium dirissi-  
mos sæpe cruciatus patitur, ac tandem naturæ debitum emo-  
riendo solvere tenetur. Nulla ætas, nullus sexus, nulla di-  
gnitas fatali hâc necessitate ac miserâ exempta est. Moriun-  
tur juvenes pariter atque senes, masculi æquè ac puellæ, &  
ut *Horatius* cecinit, *Od. I, 4. Pallida mors æquo pulsat pede  
pauperum tabernas, Regumque turres.* Pari ratione cum mor-  
bis etiam conflitamur omnes: ægotamus in vitæ primordio,  
ægotamus in vitæ progressu, ægotamus denique in senio  
vitæque termino: & cum multa sint, quæ communiter hu-  
mana corpora affligunt, mala, peculiaribus insuper doloribus  
viri, peculiaribus scæminæ torquentur, ut verum omninò sit,  
quod referente *Hippocrate* in *Epist. 2. ad Damagetum p. m. 1284.*  
*Democritus* dixit, *ἕλος ἀνθρώπος ἐν γενεῆς νόσος ἐστὶ*, totus homo  
ab ipso ortu morbus est; ut et, quod *Augustinus* scripsit *Enar-  
ratione in Psalm. CII. Tom. IV. p. m. 837. Nasci hic in corpore  
mortali incipere ægotare est.*

A

geriem



geriem hic loci vel recensere, vel examini subicere, nimis longum foret, nec instituto nostro conveniens. Quare laborem istum iis relinquentes, qui vasta Systemata de arte Medicâ conscribere parant, id tantum operæ nobis hic sumimus, ut post examina jam superiore anno exantlata ex Gratiosa Facultatis Medicæ indultu Inauguralis Disputationis loco pro ingenii viribus de nonnullis recens natorum infantum morbis, quos & Hippocrates Aph. III, 24. ex parte recensuit, τοῖσι μὲν, inquit, μικροῖσι, καὶ νεογενοῖσι παιδοῖσι τοῖαδε συμβαίνει, ἀφρα, ἐμέλοι, βήχες, ἀγρυπνίαι, φέβοι, ἀμφαλὴ φλεγμῶναι, ὄπτον ὑγρότητες, speciatim quadam commentemur, eo quidem ordine, ut I. generales istorum morborum causas enarremus, II. specialem singulorum tractationem instituiamus. DEUS T. O. M. qui in humanæ miseræ solatium ac lenimentum Medicum pariter ac Medicinam extare voluit, qualibuscunque conatibus nostris adspiret, Lectorque benevolus pagellis hūc faventem & oculum & animum accommodet.

CAPVT I.

*De Causis generalibus morborum infantum recens natorum.*

**G**eneraliores morborum, quibus infantes recens nati laborant, *causa* in duas ferè classes dispesci posse videntur: nam aliæ quidem extra corpus infantile constitutæ sunt, aliæ in ipso corpore infantis hærent proximè. *In isto ordine* varii occurrunt modi, quibus *vel mater, vel nutrix, vel obstetrix* quoque morborum infantilium causæ esse solent. Et *Mater* quidem nunc *graviditatis*, nunc *partus*, nunc *puerperii* ac reliquo *lactationis* tempore fœtui suo morbum conciliat. Nam *in vase* exorta *vel ipsa* morbo infecta est, *vel saltem* neglectâ meliore diatâ parum ordinatè vivit. *In priore casu* non mirum est, morbidos nasci infantes: nam qualis est causa, talis ferè effectus esse solet, præsertim in naturalibus. Scilicet, uti *σαπρὴ δὲνδρι σαπρὸς καρπὸς ἐστὶ*, docente Christo Matth. VII, 17. & XII, 33. sic etiam ex leproso, phthisico, scabioso &c. natus raro à leprâ, phthisi, scabie &c. purus est: ejusmodi enim



enim morbi vel ex corrupto sanguine oriuntur vel sanguinem  
corrumpunt; sanguis autem corruptus & in patre semen generat  
deterioris indolis, in matre verò ovulum genitale corrumpit,  
& alimentum fœtui in utero latenti præbet noxium, atq; sic pa-  
rentum morbos liberis communicat. Alterum autem ubi con-  
tingit fieri, (contingit autem sæpius: nam plures gravidæ  
mulieres, dum omnia, quæ liber, sibi licere credunt, inordi-  
natis indulgent desideriis, ferunturque in cibos ac potus pa-  
rùm salubres, aut eos, qui salubres sunt, nimiam copiâ inge-  
runt falsâ nonnunquam opinione ductæ, magnum se hoc ipso  
afferre fœtui suo commodum) ea res itidem tenello alumno  
solet esse damno: nam quamvis ipsa fortè mater robusta nul-  
lum inde detrimentum in suo corpore capiat, succi tamen istius-  
modi insalubres cruditatesque alimentorum minus bene dige-  
storum infirmum fœtus corpusculum mirum in modum con-  
turbare possunt. Quodsi verò, exacto graviditatis tempore,  
partus hora immineat, infanti inde quoque noxa conciliatur,  
si vel via, per quam fœtus egredi debet, non satis sit patula,  
vel situs ejusdem in utero perversus adeò, ut sæpe non citra  
matris & fœtus damnum extrahi possit. Non minimam quo-  
que *matres puerperæ factæ* ad generationem morbo-  
rum infantum symbolam conferunt, dum lac vel planè nul-  
lum, vel nimiam quantitate, vel heterogeneis qualitati-  
bus vitiatum offerunt, vel denique præter lac alia esculen-  
ta non debito tempore, nec debito modo præbent. Præ-  
cipuè in eo peccare solent matres, dum ad quemcunque eju-  
latum statim infanti mammas obrudunt, & sugere illum vi-  
quâdam cogunt, cum tamen moderamen aliquod observari  
debeat: infans enim recens in lucem editus primis post par-  
tum mensibus singulis bihoriis, post 3. vel 4. menses bis terve  
de die lactandus, nec cogendus est ad sugendum; licet enim lac  
laudabile fuerit, ob copiam tamen in ventriculo corruptum ma-  
ximos excitat morbos. Quantum autem lac malæ notæ noceat,  
ex morborum, quibus lactis corruptio causa existit, infra in-  
stituendâ recensione manifestum fiet. Promovetur autem la-  
ctis corruptio haud parùm, 1. si mater ipsa minus prosperâ  
valetudine fruatur. 2. si mammas diutius acri liberiori, in-  
pri-



primis frigido, exponat. 3. si esculenta varia & contraria sibi invicem in nimia quantitate, quibus concoquendis ventriculus ipsius impar est, assumat, adeo ut non possint non cruditates hinc evenire. 4. si mater non tam limites diata excedat, quam iis utatur cibus, qui lac minus conveniens infantibus suggerunt. Tales autem sunt cibi difficilius digestionis, v. gr. legumina, quae flatulenta omnia, cibi falsi, aromatis nimis conditi, vel muriâ aut garo quodam confecti, aut crudi, ut sunt fructus horaei. 5. si Baccho nimis liter mater, & deleatur vinis generosis ac meracis, aut si abutatur vino nondum defecato, vel cerevisiâ acidiusculâ, aut novellâ parum defecata. 6. si paulo ante lactationem purgans aut vomitorium assumerit, sive id fortius sit, sive lene. 7. si corpus nimis motibus per diem aut laboribus confecerit ac defatigaverit. 8. si vigiliis nimis indulserit. 9. si alvus non respondeat. 10. si mentes fluere incipiant. 11. quod primo loco memorandum fuisset, si nimis animi commotionibus indulgeat, irâ inprimis, terrore, mœrori & Veneri: horum enim affectuum quidam cursum sanguinis promovent nimis, quidam vero sistunt eundem: unde lacti deinde vitiosus ille motus imprimatur. Matribus ergo suadendum, ut, si in extraordinariâ animi perturbatione fuerint commotæ, moram in lactando internectant, aut aliquam lactis quantitatem prius emulgeant. Poterit autem conditio lactis optimè cognosci, si attendamus 1. an sit mediæ consistentiæ inter tenuitatem seu aquositatem & crassitiem. 2. an particulae sint æqualiter sibi invicem mixtæ, nec una præ alterâ abundet. 3. an sit album, nullo colore peregrino conspurcatum. 4. an non sit fœtidum. 5. an saporis sit subdulcis. Has quippe qualitates omnes si quis in lacte deprehenderit, jure illud bonum judicare poterit; si vero idem secus sese habeat, ut malum rejiciendum erit. Quod ut corrigatur, purgans quoddam lene mater assumat, cum sex rerum n. n. legitimo usu. Non tantum autem in oblatione lactis peccatur à matribus, sed etiam quàm maximè in exhibitione pultis & aliorum esculentorum. Non autem hoc cum in finem dicimus, quasi animus nobis sit, multorum ex hodiernis Medicis scrupulositatem amplecti, qui inutiles complures regulas circa præparationem pultis suggerunt. Non modò



modò enim solennem nostratibus mulieribus conficiendæ pul-  
tis modum improbant, contendentes, pulstem talem, ceu  
pastam tenacem, crudam viscidamque, bibliopegis, quàm  
infantum nutritioni utiliore esse; sed & loco farinæ substi-  
tuere jubent micas aliquot panis similaginei, quoniam fermente-  
scere jam desierit. Verumenimverò hæc non possunt nobis dis-  
suadere, quò minùs pulstem modo solenniore parare sinamus,  
siquidem, ut Excellentiss. Dnus D. Stahlius arbitratur, levi-  
or est diversitas, quàm ut moderatus ejus usus insignè aliquod  
præjudicium afferre possit. Justior sanè est reprobatio nimis  
intempestivæ intrusionis pultis, quâ sæpe non ad famem  
sedandam, sed ad nauseam usque infantes infarciuntur at-  
que saginantur, quæ *addogaria* æquè noxia est, ac lactis  
nimius potus. Justior etiàm reprehensio est solennis il-  
lius pulstem exhibendi modi, quo, priusquam intrudatur puls  
in os infantis, in ore matres eam volutant, salivæque probè  
macerant. Quo fit, ut vi salivæ fermentationem majorem,  
quàm par est, subeat pappæ, quæ augetur in ventriculo infan-  
tis, concurrente lymphâ digestrice ventriculi, quæ eandem ac  
saliva substantiam obtinet; utque per hanc miasmata mor-  
bosa in corpore matris latentia in infantibus manifesta red-  
dantur: id quod Observationum Scriptores abunde testan-  
tur. Nec silentio prætereunda est consuetudo varias cupedi-  
as infantibus offerendi: quæ, cum ipsæ sibi admodum sint  
contrariæ, pessimum hunc effectum producant, ut lymphæ  
digestrix, licèt ea sit menstruum universale ciborum, admo-  
dum vitietur. Hinc non solum multæ cruditates oriuntur,  
sed & totus ventriculus earundem copiâ debilitatur.

Eadem culpa sæpius etiàm penes *nutricem* hæret, quæ  
penes matrem. Solennis est error in his nostris regionibus,  
ut matres pudeat lactare infantes recens in lucem editos, quos  
tamen nutrire sanguine proprio novem mensium spatio non  
dedignatæ fuerunt, utque nutricibus mercede conductis,  
quibus plerumque est mens impura in corpore impuro, hoc  
munus tradant, metuentes scilicet, ne peracto hoc officio,  
quod natura ipsis injunxit, aliquam corporis deformitatem  
sibi attrahant. Ab ejusmodi autem nutricibus præter mo-  
rum



rum pravitatem unà variorum morborum semina imbibunt infantes. Non quidem contendimus, nullo profus in casu licere nutricem conducere, sed id saltem asserimus, consultius esse, si fieri possit, ut ipsa mater datas in hunc finem à naturâ mammas infanti præbeat, jam antea alimentis maternis assueto. Quodsi tamen nutricem adhibere vel necessitas jubeat, vel delicatioris vitæ studium suadeat, in delectu saltem illius cautiores esse oportet, ne scilicet ejusmodi eligatur femina, quæ animi affectibus nimis indulgeat, quæ stolidâ sit, aut iracunda, quæ vino, melancholiæ aut Veneri dedita sit, nec quæ plures infantes jam lactaverit: talis enim jam crassius lac habet. Vnde fit, ut alimento convenienti, non citra insigne sanitatis detrimentum, infans destituatur. Seligatur igitur ea potius, quæ immunis sit ab his vitiis, quæ carnosâ corporis habitu, mammis mediocribus, vivo ac roseo colore, vegetâ ætate, & robustâ corporis constitutione sit insignis. Illorum verò scrupulositatem profus rejicimus, qui ad lactandos infantes nutricem adhibendam esse suadent, quæ ejusdem sexûs sobolem lacte suo ante nutritur: nam sexûs aut identitas aut diversitas nihil profus ad rem facit.

Sive autem mater sive nutrix infantis curam gerat, maximopere huic nocet I. *expositio illius in æere liberiore*: quamvis enim æer externus calidus sit, infantes tamen in utero materno calidiori fomento assueti, postquam in lucem editi fuerunt, ne quidem eum statim æerem, qui adultioribus temperatus videtur, ferre possunt. Multò magis autem infantibus æer frigidus nocet, quippe qui claudit poros, ob uteri calorem apertos: quo fit, ut transpiratio insensibilis impediat, quæ, quemadmodum si libera est ad sanitatem corporis stabiliendam magnum commodum affert, ita suppressa eò magis nocet, quò minùs defæcatio sanguinis hac ratione promovetur. II. *Fasciarum quoque vel nimis arcta constrictio, vel nimis laxa ligatura* damnnum affert: illa quidem circulationem M. S. impedit, tussesque concitat; hæc verò herniarum causa esse potest, ac insuper infantum crura & brachia curva reddit: quæ membrorum distortio postea non facillè corrigitur. III. *Opiata etiam ad somnum conciliandum*



dum lacti pulvere immista, nec non immoderata curarum agitatio infantibus noxia est: illa enim stupidos reddunt infantes, hæc autem vertiginosos eosdem efficit.

De vitiis obstetricum quoque aliquid dicendum est: nam & hæc non rarò morborum infantilium causæ sunt; præcipuè si mater puerpera in dystociâ constituta sit, atque obstetrix infantem adhuc in utero contentum minùs prudenter contrectet. 2. Si nesciat puerperam adjuvare in partu, atque impedimenta removere, quæ, quò minùs in lucem prodeat fœtus, prohibent. 3. Si matri quidem in partu difficili opem ferat, fœtus autem nullam curam ac rationem habeat. 4. Si infantis recens nati linguæ frænulum, quod tamen non adnatum est, dirumpere conetur, vel adnatum minùs cautè solvat: hinc enim fit, vt vel muti evadant, vel minùs distinctè loquantur, ubi adoleverint. 5. Si fœtum jam in lucem editum à sordibus, quibus in utero conspurcatus est, non satis purget. 6. Si funiculum umbilicalem vel nimis impetuose rumpat, vel nimis arctè stringat, vel denique nimis laxè aut nimis prope umbilicum eundem liget.

Supereft nunc, vt pro ratione instituti nostri eas etiam causas enarremus, quæ specialiore ratione ipsum infantis corpus respiciunt. Vbi primo loco occurrit *meconii retentio*, quo à nativitate corpus infantile totum repletum est. Est autem *meconium* succus excrementitius residuus, ortus ab alimento infantum in utero hausto, colore viridi nigrescente præditus. Eliminari illud quantocyus debet: quod quidem optimè fit colostro, si haberi hoc possit; quicquid etiam de ejus malignitate objiciatur. Est autem colostrum nihil aliud, quàm lac serosius, quod ab initio puerperii in mammis reperitur, atque ab ipsâ naturâ destinatum est ad abstergendum meconium, & levissimâ quadam veluti fermentescentiâ aptum est ad promovendam excretionem hujus impuritatis. Quod si verò colostrum deficiat, infantibus possunt dari radix Ipecacuanhæ aut radix iridis Florentinæ, aut laxantia, ut sunt manna tabulata, manna liquida, pulpa passularum &c. His autem incassum adhibitis, potest supposito- rium ex melle cum sapone Veneto paratum ano intrudi. Quilibus



libus remediis neglectis, infantes incommodis non exiguis exponuntur, quæ à lactis acescentiâ acriori, à concursu bilis nimis effusæ & diffusæ progenitâ, cooriuntur, & non raro crebros clamores ejulationesque excitantibus symptomatibus, inquietudine scilicet, pavore in somno, manuum pedumque luctâ, imò motibus convulsivis & dejectionibus, per vehementem irritationem redditis acrioribus, divexantur iidem. 2. memoranda veniunt inter animi pathemata ira & terror, quæ multorum morborum infantilium matres esse solent. Hæc de causis generalibus morborum infantum recens natorum dixisse sufficiat!

CAPVT II.

*De Morbis Infantum recens natorum  
in specie.*

Consideratis, quàm fieri potuit, brevissimè causis generalioribus, animus nobis est ad tractationem morborum infantilium specialem progredi: quos redigemus boni ordinis servandi gratiâ in tres articulos. Horum *primus* sistet eos, qui infantibus accidunt statim à nativitate. In *secundo* tradentur ii morbi, quos infantes patiuntur partim in partu difficili, partim ab incuriâ muliercularum, quæ à ministerio sunt puerperis, & denique *tertius* continebit eos morbos, qui originem ducunt à vitio lactis & meconii retentione.

ARTICVLVS I.

*De Morbis, qui infantibus recens natis à nativitate accidunt.*

Morborum, qui à nativitate contingunt, *quidam* à depravatâ matris pregnantis imaginatione; *quidam* ex vitio nutrimenti, quod è corpore matris, eodem morbo laborantis, in corpus tenellum infantis redundat; *quidam* denique à perversâ foetus in utero formatione proveniunt.

1. de Labiis  
leporinis.

Agmen eorum, qui à perversâ imaginatione matris oriuntur, ducunt *Labia leporina*, Germanicè *die Haafenscharsten*. Nomen hæc acceperunt à similitudine cum leporum labiis, quæ fissâ esse solent, ut dentes per illa conspici possint. *Definimus* illa, quòd sint morbus vitiosæ conformationis & solutæ



solutæ unitatis in labiis humanis conspicuus, ortus à pravâ matris imaginatione, vel etiam, (quod tamen rarò contingit) à vulnere neglecto, infantes in deglutiendo impediens, nec parùm dedecoris afferens. *Pars affecta* est ordinariè labium fissum superius, nonnunquam tamen inferius etiam labium fissum observatur. *Causa* hujus mali, præter vulnera labio alterutri inflicta & neglecta, est perversa matris imaginatio, atque terror, tempore graviditatis ex improvise conspectu vel hominis labio leporino similiter deformati, vel ipsius leporis fortuito casu oculis oblatis, ortus. Sunt autem hæc ipsa *labia leporina diversa conditionis*: nunc enim labium torum fissum est, nunc tantum ex parte. Affectus hic magis molestus est, quàm periculofus, dum impedit infantes, quò minùs commodè fugere queant: citò ergo tollendus erit, id quod Chirurgiæ maximè ope fieri solet. Antequam autem curationem aggrediatur Chirurgus, 1. considerare debet, an ferre possit operationem infans. 2. caveat, ne illam instituat in subiecto valde cacochymico, aut ubi labia vulneris nimis à se invicem dehiscunt. Manum autem operi admovent labia à gingivis, quantum opus, cultro incisorio separet, eorum extremitates callosas forfice cruentas reddat, easdemque postmodum conjungat per duas tresve acus aureas aut argenteas, chalybeatis extremitatibus præditas, quarum inferiorem infigat ipsi sphincteri oris atque filum decussatim ductum & circa acus circumvolutum nodo firmet. His peractis, labiis supponat splenia & futuræ applicet plumaceolum Balsamo Indico imbutum debitoque modo deligationem instituat: quam relinquat usque ad tertium diem, quo præterlapsò deligationem laxet & novum plumaceolum eodem balsamo imbutum applicet; quarto die mediam acum, quinto superiorem, & sexto denique inferiorem extrahat, (id quod tamen pro circumstantiarum varietate non rarò variat) foramina autem ab acuum puncturis facta consolidet balsamo quodam vulnerario.

Huc porrò pertinent *Navi materni*, quos Aristoteles in 2. de *Navi* Arte Poëticâ c. 16. *σημεία σμφοῦρα*, Suetonius in August. cap. 80. *maternis*, notas genitivas, Justinus XV, 4. 9. *notas naturales*, Germani die *Muttermäbler* / *Annäbler* appellant. Sunt autem illi puncta conspicua in cute exteriori cujus-



cunque corporis partis, maximam homini deformitatem conciliantria. Oriuntur & hi æquè ac labia leporina ex reversâ matrum imaginatione rei alicujus, quam vel intentius appetebant gravidæ, & quâ tamen potiri nequibant, vel quâ ex improvîso terrebantur. Mire desudarunt in indagandâ causâ remotiore hujus affectûs Philosophi æquè ac Medici: quorum plures causam hujus rei inde deduxerunt, quod spiritus animales cum sanguine in magnâ copiâ tunc temporis affluant ad partem istam; quo fieri ajunt, ut per extraordinarium istum sanguinis motum ad cutem exteriorem, figura talis in cute depingatur. Verùm hi dixerunt aliquid, ne nihil dixisse viderentur: nos hic malumus illo doctæ ignorantia symbolo nos tueri ac dicere: *non liquet!* Ceterum diversæ conditionis sunt maculæ istæ: *alia* enim læves & cuti æquales sunt, *alia* in tumorem extuberant, & verrucosæ sunt, *alia* denique villosæ existunt; *nonnullæ* lividæ, *quedam* rubræ sunt, & modò *fragorum*, modò *cerasorum*, modò *mororum*, *aliarumve rerum* figuras referunt; *quedam* pro varietate anni temporum modò obliterantur, modò magis in conspectu prodeunt, *quedam* perennes sunt. Licèt verò *difficillima* sit *medela* earum, non tamen adèd ignara est Medicina, ut non aliqua etiam hic remedia suppeditet. Certè calentibus adhuc secundinis, ut & lochiorum quotidianâ inunctione maculas tales sublatas fuisse, experientia testatur; nec minùs cosmetica, ut aqua Cosmetica, aqua Sigilli Salomonis, Lac Virgineum &c. medendæ istiusmodi labi conveniunt.

3. de Lingua  
frænulo nimis  
adnato,

Inter eos morbos, quos vitiosa conformatio producit, nobis etiam hic se offert *Lingua frænulum nimis arctum*. Est autem frænulum linguæ illa pars, quæ annectit linguam laryngi, offi hyoidi, faucibus atque tonsillis. Contingit autem, licèt rarò, ut nimis longum sit; quo ipso non solum motus linguæ extra labia, sed & suctio impeditur. Hic affectus itidem maturatum Chirurgi auxilium postulat. Operatio autem Chirurgica hoc ferè modo peragitur: Chirurgus linguæ protractæ frænulum forfice vel lanceolâ incidat, probè autem caveat, ne ductus & glandulas aut nervos lædat: *illis* enim dissectis continuus & incurabilis ptyalismus succedit; *his* verò læsis superveniunt repentina linguæ convulsiones.

Loco



Loco autem incisi frænuli de die aliquoties splenium melle rosaceo inunctum applicetur, ne extremitates coalescant. Quodsi verò hæmorrhagia quædam præter spem accidat, sistenda ea est solutione vitrioli Cyprii.

Non minoris momenti sunt *Imperforationes penis, meatus urinarii, pudendorum muliebrum atque ani.*

4. de Imperforationibus penis, meatus urinarii, pudendorum muliebrum & ani.

Est autem *imperforatio penis* morbus cavitatis, quam istud membrum habet, urinæ effluxum impediens; estque vel *perfecta*, quando foramini glandis naturali membrana quædam obducitur; vel *imperfecta*, quando admodum exiguum & vix conspicuum foraminulum adest, ita tamen, ut urina excerni nequeat. Periculosissimus est affectus, & ni citò succurratur ei, mortem infert. Quodsi membrana tantum est obducta foramini glandis, Chirurgus lanceolâ vel cultello incisorie foramen clausum aperiat, novoque foramini clauso penicillum aut turundam, unguento pomato aut unguento fusco Würzii imbutam, intrudat; quæ toties eximatur, quoties urinam emittere cupit æger, & hoc continuandum, donec labia perforatæ glandis perfecte occalluerint. Quodsi verò foramen nimis angustum fuerit, Chirurgus tantum turundam ex medullâ sambuci, inunctam unguento rosaceo, intrudat, quæ ab humoribus serosis affluentibus intumescens foraminulum illud amplius reddat.

Huic imperforationi *cognatus est affectus ille*, quando *glans non ordinario sed alieno loco perforata est*, ita ut foramen, exonerandæ vesicæ inserviens, vel ad radicem penis ante scrotum existat, vel à latere frænuli ductu quodam ab urethrâ oriundum reperiatur: quale D. Job. Guilielmus Pauli in *Annotationibus ad Hornii Microtechnen p. 460.* describit. *Prognosis* ejus licet minus periculosa sit, molestiam tamen creat; & id, quod priore loco nominavimus, etiam procreandæ soboli ineptos reddit. Quare, licet D. Pauli l. c. alterum illud, posteriori loco nominatum, foramen in statu suo relinquendum suadeat, isti tamen auxiliante Chirurgi operâ succurrendum esse ducimus. Intrudat verò Chirurgus foramini isti extraordinario specillum inflexum crassius, super quo per urethram penetrante in anteriori glandis parte novum foramen incidat,



vulneri autem inflictō vel fistulam argenteam vel caulem pen-  
næ proportionatum, eundemque emplastro de minio obvolu-  
tum indat, inferiori denique foramini occludendo adhibea-  
tur emplastrum vulnerarium Mündereri.

Vt autem in pueris glans imperforata est, ita & in pu-  
ellis *meatus urinaris nonnunquam clausus est*, qui eodem mo-  
do, quo glans imperforata, tractatur.

Observantur interdum etiam *puerenda muliebria* omni-  
nō clausa per membranam, hymenem dictam, qui morbus  
multa mala, imprimis mensium obstructionem, successū tem-  
poris post se trahit. Operatio Chirurgica, ut in prioribus  
imperforationibus, instituetur.

Quod verò attinet *ad arslou ani*, via intestini recti ad  
anum tendens vel membranā tantum, eaq; vel tenui vel crassiu-  
sculā, vel etiam carnosā materiā obducta est, vel in tam exi-  
guum foramen definit, ut anus pro clauso haberi possit, quia  
excernendis fæcibus impervius est. Periculosissimus & hic af-  
fectus est, ideoque & isti citō opem ferat Chirurgus. Quodsi  
membrana tantum tenuis fuerit, eam digitis acuminatim præ-  
cisifis dirumpat, & turundam unguento vulnerario imbutam  
intradat. Quodsi verò membrana crassior anum claudat, inci-  
sionem decussatim faciat, & turundam pro consolidatione vul-  
neris unguento quodam vulnerario imbutam inserat. Quod-  
si verò caruncula obducta est ano, tum cannulam argenteam  
acutiore & breviori acu munitam infigat Chirurgus, quam  
extractā acu, in ano per aliquot dies relinquat, postmodum,  
cannulā quoque extractā, turundam unguento vulnerario tin-  
ctam loco inciso immittat, donec labia vulneris perfecte oc-  
calluerint. Quodsi verò foramen exiguum adsit, tantum tu-  
rundā quadam anum dilatat.

¶. de Digiis  
manus pedis-  
que coalitis,

*Artus* natura homini duplices dedit, *prehensivos* nempe  
& *ambulatorios*: in his nonnunquam, licet rariùs, concretio  
contingit, quæ fit vel mediante membrana, cartilaginem amu-  
lante, vel rudimentum tantum digitorum levi quadam inci-  
surâ apparet. Affectus hic admodum molestus est. Quod-  
si tantum membrana adsit, forfice & scalpello tollatur, extre-  
mitatesque cruentæ emplastro quodam vulnerario curentur.

Quod-



Quodsi solummodò rudimentum digitorum observetur, ab operatione Chirurgi abstinere.

Restant morbi vitio parentum orti : inter quos primum locum tenet *Icterus*, qui est symptoma qualitatis mutatae, totam cutim colore flavo tingens, quod ortum suum ducit ab abundantia bilis, ejusque regurgitatione in Massam sanguineam. 6. de Febr.

Hujus mali causa est bilis in corporibus, matrum inprimis, si ad iram hæ provocentur, vel si ipsæ ictero laborent, intimius Massæ sanguineæ permixta. Hinc cum embryones tali sanguine nutriantur, fieri non potest, quin talis etiam color in cute ejus emergat. Nonnunquam etiam à vitio lactis aliaque domesticâ culpâ oritur hic affectus.

*Causa ultima & immediata* hujus morbi est abundantia & regurgitatio bilis in Massam sanguineam. *Abundantia* autem *bilis*, quando particulae sanguinis sulphureæ & biliosæ præ reliquis dominantur, ob hepatis obstructionem, quod officio suo fungi amplius nequit. Hæc bilis abundantia plerumque dependet à nutrimento infantis, si nempe mater ipsa biliosum obtineat temperamentum & biliosum sanguinem, aut si mater abusa fuerit liquoribus spirituosis. *Regurgitatio* verò *bilis in sanguinem* pleribus modis contingit, 1. quando bilis à sanguine planè non sequestratur. 2. quando viæ, per quas bilis debet ferri, mucò quodam viscido sunt obstructæ. *Causa* verò *remotissima* est meconii retentio, quæ lac variis modis inquinat.

*Cognosci* potest affectus facillè ex colore cutis citrino, ex urinâ & sudoribus flavescens & lintea tingentibus, ex constipatione alvi, vel ex facibus albis & cineritiis.

*Prognosis* non adèd mala hic formanda est : sæpe enim sponte cessat absque medicamentis, aut etiam si iis opus fuerit, facillè tamen curari potest.

*Cura* paucis absolvitur, sæpe uno purgante propinato. Quodsi verò post purgans non cesset icterus, obstructionibus medentia adhibeantur : quem in finem ut specificum laudatur Crocus Orientalis junctis aliis diaphoreticis ; quibus non malè adduntur oculi cancrorum, quia vim absorbendi obtinent.





nent, ut hoc modo visceri & acidi humores absorbantur. Externè possunt foci parari ex saponariâ, chamomillâ, papietariâ, menthâ; aut potest plantis pedum applicari cataplasma ex fol. marrubii, radice chelidonii majoris, & visco querno, subactis cum vino & aceto; aut subdi possunt centaurium minus, vel radix chelidonii majoris, atque hypericum, linteaminibus quoque urinâ madefactis calidis totus æger involvi potest. Ceterùm *nutrix* abstineat à cibis viscidis, qui proventum bilis promovent & hepar obstruunt.

7. de Scabies. Succedit *Scabies*, quæ est tumor pustulosus à lymphâ salâ, acri & mordace, vel crudiore exortus, cum glandularum subcutanearum exulceratione, atque pruritu conjunctus.

*Causa ultima* scabiei est lymphâ salsa, acris, mordax, aut crudior, vel tota ejusdem Massa sanguinea, tali characterate inquinata, quæ ex matris corpore per funiculum umbilicalem ad fœtum in utero defertur. *Causa* scabiei in utero contractæ remotissima est omnis cibus salus, aromatibus nimis conditus, ut & potus nimius vini generosi, meraci, & cerevisiæ parum defæcata, quibus mater gravida delectata fuit. Ast in infantibus recens natis scabies oritur à vitio lactis, vel matris vel nutricis scabiosæ, vel ex meconii retentione, quæ lac acre reddere valet.

*Differentia* scabiei infantum eadem sunt, quæ adultorum: alia enim *universalis*, alia *particularis*; porro alia est *humida*, alia *sicca*, alia *pustulosa*, alia *crustosa*.

Quod *prognosis* attinet, sicca periculosior est humidâ, maximè ob metum recidivæ, quæ ut plurimum lethalis esse solet.

*Cura* hujus affectûs præcipue matrem & nutricem respicit, cum hinc origo hujus mali sit deducenda. Ante omnia igitur purganda mater vel nutritrix: inde commendandum lene quoddam sudoriferum ex pulvere bezoardico Wedelii vel Sennerti, terrâ sigillatâ, C. C. isto, antimonio diaphoretico, & crystallo montanâ, vel lapide smaragdi, vel, si magis arideat forma liquida, mixtura simplex detur, aut pauperioribus rob sambuci vel juniperi. *Pro usu externo* possunt



sunt fieri fofus ex aquis thermalibus sulphureis , vel poffunt parari unguenta & linimenta ex fucco plantaginis & limonium, ex unguento de lithargyro, de ceruffa, & ex unguento Bernhardino , aut pofeft corpus totum patientis illini folo cafo ex ligno, quem vocant einen Loohtaf.

Non poffumus hic fentio praterire *Luem Veneream*, 8. de Lue Venerea. qua non raro corripuntur infantes tenelli, inordinatas parentum concupifcentias in fuis corpufculis luituri. Potefl hic ipfe morbus *definiri*, quod fit corruptio peculiaris & virulenta univerfae Maffae fanguineae, ut plurimum ex impuro concubitu, contactu, ut & Veneris abufu orta, folidam etiam humani corporis fubftantiam depafcens.

*Subjectum* hujus morbi in infantibus tenellis ef primò maffa fanguinea, unde poftea partes corporis & fungofae & folidiores, v.g. offa inficiuntur ac corroduntur.

*Caufa* hujus mali in infantibus ef fanguinis materni virulenta illa & peculiaris infectio, quae communicatur per funiculum umbilicalem. *Caufa remota* ef 1. concubitus impurus matris cum marito fimili lue inquinato, qui non tantum matrem unà inficit, fed & ovulo, quod femine virili aetuari & excitari debet, talia miasmata communicat, ut foetus ille etiam inquinatus nafcatur, 2. nimius Veneris in femina abufus, qui non tantum vires corporis muliebris profternit, fed & fanguinem ita inquinat, ut talia miasmata à gravidâ matre communicentur foetui.

Licet varia fymptomata habeat Lues Venerea in infantibus, quae ferè eadem funt ac in adultis, non tamen ftatim in infantibus tenellis illa cognofcitur. Quandoque haec lues ita occulta ef in matre ac in nutrice, ut nullum illius fignum appareat, cum fymptomata quaedam & figna in infante obferventur, Lue Venereâ affectam efle matrem aut nutricem.

*Prognofis* hujus morbi non pofeft nifi periculofa conftitui: nam vel prima ejus initia in infantibus difficulter curantur. Quodfi verò jam vires fuas exferat & incrementa fumpferit, malum illud planè incurabile cenfetur. Interim ut aliquid tentetur, *cura* hujus morbi itidem dirigenda ef ad ma-



matrem, vel nutricem: cui ante omnia dari potest radix Ipecacuanhæ, quia simul alexipharmaca est; postmodum lene quoddam sudoriferum illi præscribatur, ut est Mixtura simplex: pro potu ordinario sit decoctum lignorum, quia sanguis hoc modo depuratur, cibusque tenuis admodum sit. Curatio hæc admodum tardè procedit, nec plenariè tollitur in infantibus Lues Venerea, sed potius eosdem cito pede morti tradit.

Plures adhuc supereffent morbi, qui à nativitate accidunt infantibus, sed quoniam incurabiles sunt nec medicamentis cedunt, studio eos omittimus.

## ARTICVLVS II.

*De morbis Infantum recens natorum à partu difficilè & incuriâ muliercularum, quæ puerperis à ministerio sunt, prognatis.*

*I. de Hydrocephalo.*

**M**Orborum, qui partim ex difficili partu, partim ex incuriâ muliercularum, quæ puerperis à ministerio sunt, proveniunt, primus est *Hydrocephalus*, qui est hydrops partialis seu tumor capitis præternaturalis, aquosus, ortus à collyvie serosâ, mollis, facilè digito tangenti cedens, ast illicò rediens.

Est autem *hydrocephalus* duplex, vel *externus* vel *internus*. In *externo* serum hæret vel intra cutem & pericranium vel intra pericranium & cranium ipsum. In *interno* autem aqua stagnat vel inter cranium & meningem crassam seu matrem duram, vel intra meningem crassam atque membranam tenuem seu matrem piam, vel denique intra ipsos cerebri ventriculos.

*Causa ultima* est extravasatio serî in has partes, oriturque ea *I. à rupsione vasorum lymphaticorum*, quæ in capite in magnâ copiâ existunt. Rumpuntur autem vel à nimia dilatatione vasorum lymphaticorum, vel ab injuriâ aliquâ externâ violentiore, ut in partu difficili ob os coccygis aliquo modo incurvatum, ut fœtus exire nequeat: nam tunc fit, ut caput infantis comprimatur ad os coccygis, & sic vasa lymphatica sero distenta rumpantur, serumque ipsum in peripheriam effluit;



fluat; vel ab incuriâ obstetricum, ubi illæ nimirum impetuosius ex utero extrahere infantes conantur. 2. provenit extravasatio serî à *transudatione ejusdem* per tunicas & poros vasorum lymphaticorum, si videlicet serum sit nimis tenue, ut non amplius possit contineri in vasis lymphaticis. *Distensionis autem vasorum lymphaticorum causa est* 1. *nutrimenti laudabilis defectus*, sive contingat ex vitio matris, sive ex vitio infantis, cum nimirum particula sanguinis balsamicæ & gelatinosæ deficiunt, & pars serosa prædominatur. Hinc non tantum infantes recens nascentes ob incuriam obstetricum & dystociam, sed etiam infantes jam nati eo corripiuntur. 2. *caput quoque infantis in utero declivius*: sic namque humores possunt faciliè afferri ad caput.

*Diagnostici signis* in hoc morbo opus non esse videri quidem cuiquam posset; verùm cum variæ dentur hujus affectus species, quæ diversum prognosticon & diversam curam postulant, utique probè illa attendenda sunt. Et quidem si hydrocephali causa hæret intra cutim & pericranium, facilis est cognitu: tum enim tumor capitis insignis, pellucidus, mollis, tactui faciliè cedens, & foveam à digito impressam ad tempus retinens, ac calvariæ insuper depressio adsunt; nonnunquam denique cuticula ab aquâ nonnihil atollitur. Si verò intra pericranium & cranium aqua hæret, tumor aliquantulum durus est, nec faciliè tactui cedit. Quodsi hydrocephalus est internus, non eadem facilitate cognosci potest, quænam interni hydrocephali species sit, licèt ex capitis gravedine, difficili oculorum occlusionè, continuis lacrymis, oculorum prominentiâ, rubore & dolore oculorum, delirio atque vigiliis, possit cognosci hydrocephalus internus ab externo: nam hæc signa interni speciebus cõmunia sunt.

*Prognosis* hujus morbi pro diversitate specierum diversimodè formanda est: nam *externus* hydrocephalus faciliè; *internus* difficulter curatur: imò vix ulla salutis spes superest, si spasmi superveniant.

Sed pergendum nunc nobis est *ad curam hydrocephali*. Ante omnia infanti dari potest laxans mitissimum: quodsi autem infans renuat assumere purgans, nutrici aut matri datur,

C





tur: quod alternis diebus repetatur; illæ verò simul abstineant à potu & cibis frigidis ac flatulentis. Post hæc usui esse possunt leniora diaphoretica, ut & sternutamenta, quoniam caput optimè purgant, & serum per nares evacuant. Externè possunt resolventia & discutientia applicari, inprimis sub forma forûs: olea quoque calida naribus immitti possunt, ut oleum caryophyllorum, nucisve moschatæ. Ne verò hydrocephalus regeneretur, odoramenta cerebrum roborantia, quæ parantur ex castoreo, rutâ siccâ, & gummi tragacanthâ, commendantur. Quodsi verò usus medicamentorum irritus fuerit, ad Chirurgiam confugiendum est. Chirurgus ergo partem tumidam incidat lanceolâ in decliviore loco, emissâ aliquâ aquæ quantitate, ne omnis statim effluat aqua, compressâ, vino rubro calido imbutas, vulneri applicet, & sic deliget; vel juxta *Aquapendentis* methodum, vulneri cannulam magnitudini ejus respondentem immittat, quam arctissimè claudat, ne omnis aqua effluat. Nonnulli, ubi hydrocephalus nondum incrementa sumpsit, eum curare nituntur solâ deligatione fasciæ, quam pileolum vocant, ut sensim angustiore factâ capitis cavitate aqua aliorsum detrudatur. Quodsi ne hisce quidem cedat medicamentis, immedicabilis censendus est.

2. de Umbilicâ Inflammatione.

Haud minoris momenti morbus est *Umbilicæ Inflammatio*, quæ est tumor umbilicæ præternaturalis, ortus ex sanguine, per funiculum umbilicalem, aut intempestivius disruptum aut non satis benè ligatum, effuso & extravasato, calorem, rubedinem intensiorem, pulsationem & distensionem insignem excitans.

*Oritur hæc inflammatio* ab extravasato sanguine in hac parte, qui ob impeditum motum circularem revehi non potest, sed stagnat. Vnde stagnare etiam cogitur sanguis ille, qui postea huc affluit, & hinc sequuntur rubor & dolor, quibus calor & pulsatio accedunt, dum sanguis nihilominus ulterius pergere conatur. Fit hæc extravasatio 1. *ex incurriâ obstetricum*, quæ funiculum umbilicalem nimis propè umbilicum contringunt. 2. *ab uracho adhuc pervio*, qui ordinariè in fœtu in utero contento urinam excernit & in infante in lucem edito.





edito rursus clauditur. Quodsi namque urina post nativita-  
tem infantis per illum canalem adhuc emittitur, fit, ut acri-  
monia suâ vascula sanguifera corodat: hinc sanguis ibidem  
contentus necessariò extravasatur, unde iterum inflammatio  
cooritur.

*Signis diagnosticis* opus fore non est, cum appareat ex  
duritie, tumore, rubore, calore & febre, quinam sit af-  
fectus.

*Quoad prognosin huius morbi* notandum, eum esse peri-  
culosissimum: nam inflammatio hæc neglecta exulcerationem  
facile post se trahit & in gangrænam abit, imprimis si ori-  
atur ab uracho adhuc pervio, quia causa inflammationis tolli  
nequit. Si verò oritur à funiculi umbilicalis malâ ligaturâ,  
facilius tolli potest, licet nec hoc malum contemnendum sit,  
cum itidem gangrænam inducere possit, præcipuè si cura pro-  
crastinetur.

Cura proinde maturè instituenda est. Laxetur autem ab  
initio infans, ut sanguinis motus nimius versus urachum al-  
teretur: quo factò umbilicus illinatur oleo rosarum & lum-  
bricorum terrestrium; vel imponatur emplastrum de sperma-  
te ranarum, vel linimento de cerussâ, unguento albo cam-  
phorato; vel albumine ovorum, cui pulvis granatorum, myr-  
rhæ & mastiches permisti sint, pars tumens inungi potest.  
Discutientes quoque foris hic locum habent, & profunt in-  
fignter. Parari possunt illi ex chamomillâ, scordio, parietari-  
â, verbasco, semine lini. Quodsi verò præter spem exul-  
ceratio contigerit, studendum, ne ulterius serpat malum: quem  
in finem rad. tormentillæ, cerussa, colcothar, terra sigillata  
aspergantur parti affectâ, vel inungatur eadem pars spiritu vi-  
ni camphorato.

Frequentissimè quoque accidit ab incuriâ obstetricum  
*Vmbilici Prominentia* & *Hernia Vmbilicalis*: qui duo affectus  
sæpe conjuncti sunt. Et *Vmbilici* quidem *Prominentia* est tu-  
mor umbilici p. n. tactui cedens absque rubore & calore.  
*Hernia Vmbilicalis* autem est prolapsus omenti & intestino-  
rum in umbilicum, ab annulo & peritonæo laxatis aut disru-  
ptis ortus.

3. de Vmbilici  
Prominentiâ  
& Herniâ Vm-  
bilicali.



*Il*la tum sese exferit, cùm major umbilici, quàm debet fieri, pars non abscissa relinquitur: quæ inde in altum attollitur & protuberat. *Hæc* verò ab annulo & peritonæo laxis nimis aut disruptis & distento magis, quàm par est, umbilico provenit, ita, ut peritonæum amplius nequeat continere molem intestinorum intra tam arctos limites. Vtrumque malum oritur à laxâ ligaturâ fasciarum, quæ debent umbilicum deprimere: cui vitio famulantur tussis vehementior, fletus & vociferationes continuæ. Porrò malo huic ansam dant exulcerationes umbilicalis funiculi, quo deinde decedente, non potest amplius continere peritonæum intestina: superveniente autem validiore corporis concussionem, & hæc & illud protuberant.

*Signa diagnostica* quod attinet, *prominentia umbilici* differt ab umbilicali inflammatione in eo, quòd tumor in inflammatione fit prædurus & rubicundus; in prominentiâ verò nequaquam; tum quòd in hac nec rubor fit, nec calor, nec dolor. Porrò umbilici prominentia vix percipitur, si supinus jaceat infans, augetur verò, si idem eleveretur; cùm contra inflammatio umbilici eadem semper maneat, sive sedeat sive jaceat æger.

*Prognosis* non potest non periculosa fingi, cùm, nisi in tenellâ infantiâ cura utrique adhibeatur, immedicabilis imò lethalis evadat, præsertim si unâ intestina inflammentur.

In *cura* allaborandum est eò, ut portio umbilicalis funiculi superflua abscindatur, reliqua verò deprimatur: quod fiet commodè solâ deligatione fasciarum, nullo adhibito medicamento. Quodsi verò *Hernia Umbilicalis* adsit, per operationem quandam Chirurgicam ea tollenda est, ut saccus ille, in quo recondita sunt intestina, incidatur & intestina in locum pristinum reducantur: vulnere autem isti plantago, in vino rubro cocta, imponatur, cui fasciarum deligatio superaddatur. Possunt etiam rotulæ formari ex corio, eaque oxycroceo obduci atque imponi in locum affectum: quæ rotulæ per longum satis tempus gestari debet. Si verò exulceratio in causâ est, umbilico unguentum de cerussa est imponendum.

4. de Intertrigine.

*Intertrigo* quoque non immeritò refertur inter morbos infan-



infantum ab incuriâ nutricum oriundos. Est autem *intertrigo* excoriatio cuticulæ, quæ inter pudenda & femora est, orta ab acrimoniâ urinæ, conjuncta cum summo dolore.

*Causa* hujus est acrimonia urinæ, quæ erodit cuticulam proximam inter pudenda & femora sitam: quando nempe infantes relinquuntur diutius, quàm par est, in linteaminibus impuris, & ab incuriâ madidis: urina enim acrimoniam quampiam obtinet, quæ, nisi citò abluatur, abradit cuticulam. Vnde munimento hoc cutis abraso ipsam cutim acrimonia hæc aggreditur: unde dolores maximi oriuntur ob abundantiam nervorum in cute occurrentium.

*Signis diagnosticis hic opus non est*: sensibus enim patet malum, nec adeò periculosum est, si citò curetur; sed si negligatur, exulceratio cutis inde oriri potest.

*In Cura* ante omnia removendæ sunt causæ: lintea scilicet semper munda, calida & sicca substernenda sunt; infans quoque sedulò lavetur, ne urina acrimoniâ suâ noceat. Abluetur autem commode balneo, quod ex decocto althææ, malvæ, parietariæ, rosarum & furfurum paratur. Post balneum infans potest exsiccare linteis calidis, & loco isti dolenti inspergi pulvis nihili albi vel pulvis ex fl. rosar. alumine usto ac thure; vel etiam unguentum de lithargyro aut diapompholygos illinere licet.

### ARTICVLVS III.

*De Morbis Infantum recens natorum à vitio lactis  
& meconii retentione oriundis.*

**T**Ranseamus nunc ad eos morbos infantiles, qui frequentior <sup>i. de Vigilis nimis.</sup> tres sunt, & quidem initium faciamus à *Vigiliis nimis*, quæ valde infestant infantes, cum infantum natura magis prona sit ad somnum, quàm ad vigilias.

*Definiri* autem possunt *Vigilia nimia*, quòd sint interruptio somni orta ab humiditatibus multis excrementitiis, quæ impedit, quò minus corpus refici & spiritus animales restitui possint.

*Causa proxima, ultima & immediata* est spirituum animalium nimis motus. *Causam* hujus mali remotiorem ab hu-



miditatibus multis serosis excrementitiis deducimus, quippe quæ spiritus animales nimium agitant. Proveniunt autem humiditates hæ excrementitiæ à nimio & vitiatò lacte, à quo vapores crassi in cerebrum deferuntur. Porrò *causæ remotiores* vigiliarum sunt tusses, tormina ventris, inflationes hypochondriorum, aspera aut immunda lintea, fasciæ nimis arctè deligatæ, item acus, quæ ex incuriâ relicta in linteis corpora infantum pungunt.

*Signa diagnostica* in hoc affectu per se patent, ut adeò iis immorari operæ pretium non ducamus.

*Prognosis* quod attinet, non contemnenda mala vigiliæ nimix post se trahunt: nam vires iis debilitantur atque corpus attenuatur, epilepsia quoque aut convulsiones superveniunt, quæ plerumque infanti ultimi fati prænunciæ esse solent.

*In Curâ* præcipuè attendendum ad causas morbi, atque remedia dirigenda potius ad affectum primarium, quam contra vigilias ipsas: illo enim cessante & hæ sponte cessant. Caveat proinde summopere Medicus, ne facile hypnotica, imprimis opiata, infanti recens nato præscribat, etiamsi anxie id petant parentes aliique: nam vel stupidiore redduntur adulti facti, vel in periculum somni æterni præcipitantur. Vt autem causa vigiliarum tollatur, infans vel nutrix purgetur, & diætæ exacta tenuisque utrique præscribatur. Externè narcotica v. g. semen papaveris albi lacti materno permixtum, ut & refrigerantia fronti & temporibus applicari possunt. Quodsi verò vigilix urgeant admodum, Medicus granum unum aut dimidium opii aut laudani opiatum, pulvi permiscendum, præscribat. In eo autem casu ubi lintea immunda malum hoc infanti conciliarunt, remotione eorundem atque crebrâ sed moderatâ cunarum agitatione, cantu, & debitâ mammaram exhibitione res omnis conficietur.

2. de Pavores in somno,

Fit subinde, ut somno *Pavores* intermixti sint: id quod mulierculæ nostrates exprimunt his verbis: Die Kinder zu cken im Schlaf so oft / sie fahren im Schlaf zuweilen ineinander. Hunc affectum Hippocrates noster generaliore voce *εββος* vocavit.

*Definiri* possunt *hi somni pavores*, quòd sint motus spasm-

smo-



smodici, in somno oriundi ex inordinato imperu spirituum in nervos & musculos, qui impetuosius irruentes inordinatam totius corpusculi inferunt concussionem per momentaneum partium contractivum nisum.

*Causa proxima* horum pavorum, uti jam in definitione indigitavimus, est inordinatus spirituum animalium versus partes motus; *remota* est vitium lactis vel in quantitate vel in qualitate peccantis. Et in *quantitate* quidem *lactis* vitium adest, si infantes voraces nimis sunt, ut non possint omne lac concoquere, maxime si statim à suctione lecto committantur: hinc fit, ut vapores crassi cum sanguine reliquo ad cerebrum deferantur, qui deinde spiritibus animalibus inordinatum motum conciliant. In *qualitate lactis* vitium tum latet, si id vel crassum nimis sit, vel fœculentum, vel acidum, singulari quâdam ratione genus nervosum constringens. Provenit hæc aciditas ex meconii retentione, ex assumptione acidorum & muriâ conditorum ciborum atque ex abusu liquorum spirituosorum. Nec parùm hunc morbum producit, si statim infanti mamma præbeatur, postquam nutrix aut mater ad iram provocata aut perterrefacta fuit: ita enim per lac infanti communicatur inordinatus ille motus nervos vellicans. Nec prætereundus quoque hic est pravus mos complurium, terriculamentis metum infantri incutere conantium. Ultimo denique loco memoranda venit imbecillitas quâdam nervosi systematis, à parentibus per nativitatem vel aliunde contracta, quæ sæpe reliquis causis accedere solet. *Differt hic affectus* 1. à *convulsionibus* in eo, quòd nec ita diu nec vehementer pavoribus concutiantur infantes, ac convulsionibus. 2. ab *epilepsiâ*, quòd pavores non æquè ac illa statum tempus observent.

*Hic affectus periculo non caret*: prodromus quippe convulsionum & ipsius quoque epilepsiæ esse solet, idemque immedicabilis prorsus existit, si à dispositione hæreditariâ proveniat.

*In instituendâ curâ* ante omnia causæ removendæ, quas modo anam huic malo dare diximus. Præmissis universalibus, absorbentia præcipuè hic locum habent, ut pulvis coralliorum, crystallus montana præparata, hyacinthus præparata,

ini



in lacte materno exhibenda ; & quæ magis specifica habentur : ut semen & radix pœoniae ac semen aquilegiae. Nec sine fructu uti possumus confectione alkermes & de hyacintho. Externè profunt suffimenta : gaudent quippe odore penetrante, qui genus nervosum mirè roborat, simulque se in poros corporis insinuat.

3. de Convulsionibus.

Soleat pavores somni insequi *Convulsiones*, quæ sunt motus tonici eademque repentinæ, imò subinde vehementissimæ, à fibrillarum nervearum & muscularium vellicatione contractivâ ortæ, agitationes, quibus natura aliquid è corpore amovere conatur.

Sedulò hic ante omnia *distinguendi sunt motus convulsi à convulsionibus* : qui differunt inter se tantùm quoad magis & minus, imò illi cum pavoribus somni conveniunt, nisi quòd in vigilantibus sese exerant.

*Species convulsionum* tres recensentur à Scriptoribus : quarum *prima* est *ἰνὸδύτος*, quando ægri caput ad dorsum reclinatur ; *secunda* est *ἰνὰ ποδύτος*, quando caput ægri ad genua flectitur, & denique *tertia* *ῥίται* est, si corpus immobile sit & instar trunci jaceat.

*Causæ earum* eadem ferè sunt ac pavorum in somno. Illud unicum ergo circa illas monebimus, quòd aliquando proveniant à nimis vigiliis, violentiore vomitu, ac à materiâ acri, in intestinis latente, quibus omnibus, si diutius durent, per consensum nervi irritantur. Nec parùm eas promover, si mater post assumptionem purgantis, aut iræ affectu correpta, statim mammæ infanti præbeat. *Prognosis* parùm lata hic formari potest : certissimum enim mortis indicium esse solent convulsiones, maximè, si aliis morbis superveniant.

*Cura* hic eadem est, ac in epilepsiâ : hujus ergo tractationi eam reservamus.

4. de Epilepsiâ.

*Epilepsia* potest definiri, quòd sit subita functionum quarundam abolitio cum totius corporis nisu convulsivo, orta ab insigni vellicatione partium nervosarum, & spasticâ contractione.

*Pars affecta* sunt omnes in toto corpore nervi, qui ita validissimè constringuntur & convelluntur.

Dif-



*Differt à convulsionibus, 1. in eo, quòd convulsionibus sint morbus acutus; epilepsia autem chronicus. 2. quòd convulsionibus aliquando totum corpus obsideant, epilepsia autem nunquam. 3. quòd illæ neque certam periodum, neque certa intervalla agnoscant; hæc verò ad phases Lunæ redeat. 4. quòd in iis nulla sensuum abolitio observetur; in hæc verò sensus sopiti sint.*

*Circa causam morbi id unicè hîc admonemus, in epilepsia æquè ac in convulsionibus præcipuum fomitem latere in ventriculo.*

*Symptomata epilepsia infantum duplicis generis habet. Sunt enim vel imminenti, vel presentis paroxysmi. Imminere paroxysmum in infantibus solus oculorum splendor denotat. Ast presentis epilepsia symptomata plura esse solent: quæ eadem ferè sunt, ac in adulatorum epilepsia, v. gr. spuma ante os, torvi oculi, pollex manu arctissimè clausus, pulsus durus, frequens & inæqualis.*

*Signa diagnostica partim ex symptomatibus modò recensitis, partim ex relatione parentum vel adstantium petuntur.*

*In Prognosi de hoc morbo ferendâ distinguenda est epilepsia hæreditaria ab eâ, quæ aliunde ortum suum habet: illa enim omnem opem Medici respuit; ast hæc expugnari remediis potest, & mutatione ætatis cessat.*

*Cura hujus morbi universalibus & specificis absolvitur: ex iis purgans lene infanti propinetur, simulque nutrice aut matri exacta diæta præscribatur, ut à Venere, irâ & vino sedulo abstineant. Post hæc optimo cum successu adhibentur ungula alcis, C. C. semen & radix pœoniæ, succinum, castoreum, flores liliorum convallium, variaque ex his præparata. Externè possunt suaderi unguentum nervinum, unguentum anodynum, unguentum de althæâ, pinguedines omnes. Ceterùm cum epilepsia & convulsionibus infantum ut plurimum oriuntur per confensum viscerum infimi ventris, antepileptica non prius cum fructu adhibentur, quàm sublato morbo primario.*

*Cùm infantes recens nati omnes habeant intemperiem cerebri humidam, ita ut scateat serosis humiditatibus cerebrum, provida natura eas per aures eliminare conatur. Appellatur*

D

verò

*§. de Ausuribus humiditatibus & purulentis effluxibus.*



verò hic affectus *Aurium humiditas*, quæ est continuus effluxus feri & successu temporis saniei & puris, ortus à superfluâ cerebri humiditate.

*Pars affecta primaria* est cerebrum, quippe quod serosis illis humiditatibus effluentibus scatet: *secundaria* auris, & quidem auris externa: glandulæ enim ejus semper loco ceruminis ferum hoc superfluum excernunt. Quodsi verò diutius duret hic effluxus, ob continuam humiditatem tympanum molle & laxum redditur, & auris interna cum auditu læditur.

*Causa ultima & immediata humiditatum aurium* est continuus effluxus feri excrementitii versus glandulas, quæ in aere externâ interius positæ sunt. *Causa remotior* est intemperies cerebri humida. *Causa remotissima* sunt aër turbidus & nebulosus, cibi humidiores, item vigiliæ nimia.

*Symptomata* hujus affectûs sunt dolor & inflammatio, quæ proveniunt ab effluxu humorum continuo, ob acrimoniam partes aurium membranotas lædentium, (unde dolor oritur) & quia etiam copiosior sanguis affluit, inde quoque inflammatio existit. Quodsi autem inflammatio hæc diutius duret, humores redduntur putridi, & hinc ichor atque pus progeneratur.

*In signis diagnosticis* inquirendis hic non est magnopere desudandum Medico: symptomata enim recensita satis eum manifestant.

*In Prognosi* de hoc affectu formandâ discernenda est sedulo humiditas pura ab impurâ: illa enim, nisi nimius fluxus adsit, non temere sistenda est, quia est opus naturæ bene operantis; hæc verò periculosa est, & celerem Medici opem requirit, cum metuendum sit, ne in fistulam aut alium morbum graviorem degeneret.

Facile ex his, quæ jam diximus, patet, *in curâ hujus morbi* ab initio tam styptica leniora, quàm exsiccantia & mundificantia medicamenta esse adhibenda, quò à sorditie auris expurgetur: id quod fit per auriculare specillum involutum bombyce vel lanâ mollissimâ, aut applicatione sacculorum, ex milio tosto confectorum. Vbi verò his remediis non cedit malum, in usum vocanda erunt ea medicamenta, quæ supra in hydrocephalo memorata fuerunt, simulque vinum stypticum auri

in-



instillandum. Ad sistendum dolorem optimo consilio adhibetur lac quaecunque aut porissimum, si haberi possit, muliebri, cui incoquantur capita papaveris cum pauxillo croci, vel potest etiam in hunc finem in lacte muliebri dissolvi Laudanum opiatum. Mundificando autem ulceri aurium inservit mel vel saccharum dissolutum in sero lactis aut in urinâ pueri. Consolidationi & siccationi conveniunt succus plantaginis, bursæ pastoris, decoctum aristolochiæ, succus scabiolæ, aqua chalybeata. Et in his omnibus cautela observanda, ne nimis vel frigida vel calida sint medicamenta, cum utroque modo auribus obstant.

*Dietam* quod concernit, infans non nimis lactetur, sed per noctem usque ad mane ab usu lactis coercetur.

Sicuti auris exulcerationem suam sæpe patitur, ita & os ab illâ non est immune: qui quidem affectus *Aphtharum vel Ulcera oris* nomine venit.

*Definiuntur Aphthæ*, quod sint pustulæ seu ulcuscula varii coloris, quæ in gingivis, linguâ, palato & interiore genarum parte observantur, subinde ad uvulam & ultra serpentina.

*Causa aphtharum ultima & immediata* est lactis omniumque humorum acrimonia quasi corrosiva. Provenit autem ea vel à matris aut nutricis, vel ab infantum vitio. Et quidem nutrices atque matres in culpâ sunt, cum illæ vel cibus acribus piperatis, aut nimis aromatibus conditis abutuntur, vel Lue Venereâ inquinatæ sunt. *Vitio infantum* humores, & imprimis saliva, acrimoniam singularem ori insensam acquirunt, si meconium retineatur; item si nimia copia esculentorum infarciatur infantibus: quibus causis nonnunquam etiam nimis diuturna in aëre austrino expositio accedit.

Hæ ipsæ *aphthæ* tamen non sunt unius ejusdemque naturæ: differunt namque 1. *ratione coloris*: aliæ enim albescunt, aliæ flavent, aliæ rubræ sunt, aliæ livent, aliæ denique nigrescunt. 2. *ratione loci*, aliæ gingivas tantum, aliæ etiam linguam, aliæ palatum, aliæ fauces obsident, aliæ omnes oris partes simul inficiunt, aliæ denique in œsophagum & ventriculum usque serpunt. 3. *ratione consistentiæ*, aliæ molles sunt, & humidæ, aliæ asperæ & siccæ, quedam intimius impactæ sunt, quedam in super-



superficie hærent. 4. *ratione prognoscos*, benignæ *alia*, *alia* malignæ sunt, *alia* sponte decidunt, *alia* difficulter, *alia* vix, imò planè non curari possunt. Quæ omnes tamen differentiæ non aliunde, quàm ab humoribus magis vel minùs acribus proveniunt.

*Symptomata aphtharum* sunt deglutitio & suctio impedita ob læsas partes huic actioni destinatas; tum dolor & ardor ob humores acres, partes hæc sensibiles continuò vellicantes; imò, si diutius durent aphthæ, exulceratio oris etiam sequitur.

*Quod attinet ad prognosin*, aphthæ in genere sunt morbus periculosissimus & molestissimus celeremque curam postulant; interim tamen non omnes pro desperatis habendæ sunt: rubræ namque, item quæ non hinc inde serpunt, & quæ non altas radices egerunt, omnium optimæ sunt; his pejores sunt albæ; adhuc pejores flavæ, pessimæ autem omnium sunt lividæ & nigræ, imprimis si diarrhoea superveniat.

*In Curâ* ante omnia Medicus mali causam attendat & inquirat, an vitio lactantis provenierit; tum quo victu utatur lactans; gulæne indulgeat, an Lue Venereâ sit inquinata; & num ortæ fuerint aphthæ ex meconii retentione. Quodsi Lues Venerea causa aphtharum fuerit, cura ad illam dirigenda est, vel alia nutrix substituenda. Si verò à gulâ aut meconii retentione malum sit, infans laxetur: qui ipse tamen haud nimium purgandus est, ne diarrhoea, quæ lethum minatur, superveniat. Præmissis universalibus pergendum ad *topica*: qualia sunt mel rosatum, quod abstergit; mel violatum, quod demulcet; mucilago seminis cydoniorum extracta cum melle & aquâ rosarum; succus expressus raparum vel costarum vel asatarum cum paululo sacchari; oleum raparum; butyrum haud falsum recens: quæ quidem omnia ori illini possunt. Nec salubritate carent in hoc affectu testacea intus assumpta. Quodsi verò inflammatio infestet partem affectam, adstringentia leniora & refrigerantia locum habent, ut sirupus rosar. sicc. granatorum, myrtilorum, diamoron, sirupus Nymphææ ac plantaginis. Quodsi autem incipiant malignæ fieri, tum, ne ulterius repat malum, essentiâ aloës, vel, quod melius est, spiritu vini camphorato, aut Tincturâ Laccæ os elui potest.

Abso.



Abolutis primi ventris seu capitis morbis, pergendum 7. de Tussi.  
ad *Tussim*, quæ est motus præternaturalis violentus pulmonum & musculorum, respirationi dicarorum, ortus à peregrino corpore pulmones irruente, quod illi rursus conantur eliminare.

*Affecti primariò sunt pulmones*, quippe qui nullum aliud corpus nisi aërem pariuntur, licet alias sensu obruto gaudeant; à pulmonibus autem asperæ arteriæ principium *larynx* (quia aspera arteria pulmonibus contigua est) in consensum trahitur, & quidem eò magis, quo exquisitiore sensu gaudet.

*Causa ultima & immediata tussis infantilis est irritatio pulmonum*, quæ provenit ab acrimoniâ humorum illabentium, qui spiculis suis teneram vesiculosamque pulmonum substantiam & asperæ arteriæ fibrillas vellicant, & quasi crispaturam illis inferunt. Humororum autem acrium causæ quærendæ sunt 1. in aëre frigido & humido & astrorum influxu, ut *Paracelsus* bene admonuit. 2. in *admixtione* ciborum, quam *Veteres & Recentiorum nonnulli* causam tussis observarunt sæpissime. 3. in cibis acidis, qui pulmonibus maximopere adversantur. 4. in retentâ salivâ, præcipuè tempore humido: hæc enim tum maximè miasmatis heterogeneis inquinata esse solet.

*Differentias* infantilis tussis æquè ac adutorum, varias agnoscit: *alia* enim est sicca, *alia* humida; porro *alia* est mitior, *alia* ferina.

*Diagnostica signa* hîc afferre opus non est: siquidem per se satis manifestum est, quinam adsit morbus: audimus enim tussim.

*Prognosis* verò quod attinet, tussis non est affectus contemnendus: nam neglecta tussis, hecticam, herniam, phthisinque post se trahere solet; imò si violentior fuerit, mortem infanti conciliare potest, nisi citò ipsi succurratur.

*In Curâ* hic itidem attendendæ sunt causæ morbificæ. Si ab *admixtione* orta fuerit, infanti non copiosè lac præbendum est amplius, nec nudo pectore aëri idem exponi debet. Si verò proveniat ab humoribus vitiosis excrementitiis, potest præscribi purgans per superna, cui admixtum sit pectorale quoddam remedium; nam sæpe vel uno vomitorio tussis cura-



tæ fuerunt. Nec tamen purgans per inferna negligi debet, cum alvus aperta pulmones à saburrâ vitiosorum humorum liberet. Quodsi verò vitio lactis ortum suum debeat tussis, potest lactis corrigendi causâ lactans decoctum quoddam pectorale assumere ex ficibus recentibus, jujubis, febestenâ, glycyrrhizâ, passulis minoribus, hyssopo, Capill. Veneris, confectum : de quo decocto bibat lactans quovis mane, sed corpus probè prius purgari necesse est. Ipsis infantibus, præmissis universalibus, varia bechica pro ratione statûs humorum commendantur applicanda. Et optimum quidem remedium in tussi infantum est sirupus violarum cum extracto liquiritiæ : studendum enim, ut infantes per tussim aliquid ejiciant.

3. de Vomitu.

*Cum tussis saepe solvatur Vomitu*, non est abs re illum ipsum tussi subnectere. Est autem *Vomitus* motus spasmodicus & perversus ventriculi, per quem in hoc contenta sursum ejiciuntur.

*Pars affecta primaria* hic est ventriculus; *secundaria* est intestinum duodenum : quod est intestinum primum omnium intestinorum, in quo recipiuntur ductus pancreaticus & ductus choledochus : ventriculus enim hoc motu valdè concussus & distentus intestinum duodenum unâ comprimit, ut non tantum cibi contenti, sed & succus pancreaticus atque bilis ipsa per vomitum ejiciantur.

*Causa ultima & immediata* est motus perversus ipsius ventriculi, qui oritur ab irritatione tunicæ musculosæ atque membranæ nervæ ventriculi, cui adhæret crusta villosa : irritantur autem hæ tunicæ à lacte aliisque contentis, quantitate & qualitate peccantibus. *Quantitate* peccat lac, dum plus, quàm ferre potest ventriculus, ingeritur: quo ipso fit, ut non solum concoctio impediatur, & cruditates multæ generentur, sed & tonus debilitetur, ut quicquid ingestum fuit, rursus per vomitum ejiciatur. *Qualitate* peccat lac, si ob meconium, adhuc in ventriculo hærens, sit crassum, nimis acre, aut malignis & venenatis qualitatibus imbutum : quod ipsum itidem aptum est vellicare fibras, & motum peristalticum inversum ventriculo imprimere, Ceterum vomitus quoque infantiles

non



non unius ejusdemque generis sunt : *alius* enim pituitosus, *alius* biliosus est, *alius* aliorum vitiosorum humorum est vehiculum.

*Quoad prognosin* distinguendum est inter vomitum, qui à lactis copiâ provenit, (qui quidem naturæ benè operantis signum est, nec sollicitam Medici opem requirit,) & inter eum vomitum, qui à vitio lactis proficiscitur : in hoc enim casu superveniunt sæpe singultus aut convulsiones, inprimis si biliosus fuerit vomitus. Quare hîc quidem Medicum non oportet esse segnem.

*In instituendâ curâ* illa vomituum diversitas itidem est attendenda. Quodsi enim vomitus à nimîâ copiâ lactis oritur, vomitorium aut purgans infanti dari potest, simulque matri injungi debet, ne in posterum tantâ in copiâ lac præbeat; ac tandem, ut laxitas ventriculi roboretur, adstringentibus & roborantibus utendum : qualia sunt thus, mastiche, item sirupus rosarum, sirupus coralliorum, pulpa cydoniorum. Quodsi autem vomitus à meconii retentione ortum trahat, vomitorium quoque ab initio locum habet : deinde clyster absterforius potest applicari ex decocto furfurum, addito melle rosato vel anthosato. *Externa remedia* in affectu hoc non sunt omittenda : ut sunt unguenta, linimenta, emplastra & alia, quæ prostant in officinis jam parata, e. g. *emplastrum de micâ panis*, *oleum stomachale Cratonis*, item *ceratum ex ladano & camahacâ paratum*.

*Singultu* etiam infantes recens nati non rarò vexantur. 9, de Singultu. Potest ille *definiri*, quòd sit convulsiva strictura superioris orificii, quod habet ventriculus, atque partis nervosæ in diaphragmate, conjuncta cum sonitu ructum æmulante.

*Pars affecta primaria* in hoc morbo itidem est ventriculus, & quidem præcipuè ejusdem orificium superius seu sinistrum, quod alio nomine œsophagus dicitur, & insignem nervorum copiam in se recipit. *Secundariò* etiam afficitur ipsum diaphragma, quod immediatè superincumbit ipsi ventriculo, & orificio ejus sinistro transitum præbet, & quidem præcipuè pars diaphragmatis nervea, quæ admodum sensibilis est : quando namque ventriculi orificium superius convellitur,



litur, in consensum statim trahitur ipsum diaphragma, quod pulmones comprimens aërem expellit, qui deinde hunc sonitum efficit.

*Causa ultima & immediata* est strictura convulsiva partis nerveæ ventriculi orificii superioris. Hæc autem pars convellitur, quia irritatur ab humoribus acidis, acribus, & mordacibus, qui primò generantur à vitio lactis copiosè ingurgitati, 2. ubi infantes nimis frigido aëri exponuntur, & 3. cum lactantes vel frigidis vel calidis cibis uruntur, vinoque generoso indulgent.

*Prognosis* diversa, quoad diversas affectûs species, est formanda: si est idiopathicus singultus, non magnopere formidandus est; si verò est sympathicus, mortis indubitatus prodromus esse solet.

*In Curâ* ante omnia studendum, ut causa tollatur per exhibitum vomitorium aut purgans, si à nimia lactis ingurgitatione aut corrupto lacte singultus dependeat. Præmissis universalibus, ea etiam locum habent, quæ recensuimus in curâ convulsionum & epilepsiæ. Quodsi verò singultus ortum suum debeat refrigerationi totius corpusculi, infantilis cordis scrobiculo illini potest oleum absinthii, menthæ, nucis motchætæ, & omnia ea, quæ in vomitu locum habent externè, commendari possunt.

10. de Diarrhœa & cognationis excretionibus.

Vt vomitu, ita & Diarrhœa non rarò corripuntur infantes. Est autem *Diarrhœa* nimia & crebra dejectio fecum alvinarum cum insigni virium jacturâ conjuncta. Cum quâ excretionem cognationem habet 1. *Lienteria, Germ. die Magen Ruhr*, quæ est nimia per inferiora dejectio alimentorum vel nihil vel parùm mutatorum. 2. *Affectio Cœliaca*, quæ est dejectio *nâlo* facta chyli crudioris vel excrementorum chylo permixtorum, & denique 3. *Dysenteria*, quæ est dejectio vel excrementorum sanguine permixtorum, vel sanguinis puri & sinceri.

*Causam ultimam, proximam & immediatam* diarrhœæ cognatarumque specierum constituimus nimiam irritationem fibrillarum intestini recti, glandularum intestinalium & sphincteris ani: *remotio*rem verò statuimus humores acres vellicantes intestinorum fibrillas nerveas, qui concurrentes cum bile &



330 / 68  
17  
& succo pancreatico vitiosam effervescentiam inter se excitant. Remotissimas verò causas diarrhœa & cognatæ species proprias sibi vendicant. Et quidem in diarrhœa æcr intense frigidus accusandus venit, qui crispaturam nervis & fibris inducens hunc effluxum prolicit; ut & cibi, quibus lactans vescitur, nitro multo & vi laxativâ præditi.

In lienteria & celiacâ passione causa remotissima est ventriculi laxitas & lubricitas intestinorum, ob quas nequeunt fatis concoqui cibi, sed statim intestina percurrunt & exitum quaerunt.

Dysenteria easdem, quas diarrhœa, causas remotissimas agnoscit, nisi quòd in dysenteria causæ illæ sumo gradu peccent.

Nec minus quoad prognosin differunt hæc species: Diarrhœa enim, si idiopathica est nec nimis diu durat, periculo caret. Si verò supervenit aliis morbis & colliquativa est, lethalis esse solet. Idem judicium ferendum est de lienteria, celiacâ affectione atque dysenteria: rarò enim infantes ex his reconvalefcunt.

Sed transeamus nunc ad curam horum morborum! Diarrhœa non statim sistenda est, sed ab initio potius per purgans aliquod lene promovenda: sæpe enim unico purgante exhibito diarrhœa cessavit. Quodsi verò pertinax morbus sit, ventriculum roborantia & adstringentia adhibenda sunt, quæ supra allegata fuerunt in vomitûs curâ. Lienteria & celiacâ affectio si admittant curam, hæc ferè eodem modo instituenda est. In dysenteria enemata ex hordeo, fufure, rosis rubris, lacti chalybeato incoctis, proficua sunt ab initio. Ceterùm hic omne punctum ferè absolveret sudor lenis, sed cum infantes propter dolorem in lectulo sint valdè inquieti, vix illi ad sudorem compelli possunt. Interim studendum, ne infantum corpuscula exponantur aëri liberiori. Quoad dietam nutrix cibos acres salfos vitet, eligatque hordeum delibratum atque alios cibos euchymos; infanti autem pultricia ex amylo parata maximè convenit.

Accidunt quoque non rarò infantibus, qui vix lucem hujus mundi salutarunt, *Tormina*, quæ sunt dolores intestinorum, præcipuè coli, intensissimi, orti à materia quâdam flatulenta, acri atque pituitosa, ibidem hærente; conjuncti modò cum diarrhœâ, modò cum alvi adstrictione.

E

*Affecta*

II. de Tormi-  
nibus.



Affecta hic sunt intestina & inprimis colon, quod multis nervis & cellulis gaudet, inter quas flatus continentur: unde sæpe excrementis alvinis transitus denegatur.

Causa proxima & immediata est punctura spasmodica intestini coli, quæ in causâ est, ut alvinæ fæces vel non excernantur, vel cum summo dolore deponantur. Cause remotæ sunt variæ: cum Galenicis enim nominare hic licet pituitosos, acres & viscidos humores; ut & flatus, quibus intestina valde constringuntur. Pariter cum Anglis & Willisio inprimis statuere possumus, succum nervorum nutritium, acriorem factum, causam istius mali esse. Nec Sylvii sententia de effervescentiâ bilis rejicienda est: si enim bilis, quæ clysteris vice fungitur, acrimoniâ quâdam corrosivâ prædita, & succus pancreaticus vel viscidus nimis est, vel nimis falsus & acris, certò certius intensissimi cruciatus oriuntur. Cartesianorum quoque (quorum castra maximè securus est Ettmüllerus) acido cuidam, ex meconii retentione orto, causam morbi adscribentium, opinio prioribus itidem non repugnat. Acidum autem peccare cognoscitur, tum ex odore excrementorum summè acido, tum ex colore eorundem, qui vel viridis est, vel flavescit, & statim viridescit. Causa hujus discolorationis triplex recensetur ab Ettmüllero in *Valerudinario Infantili* cap. 2. §. 21. Inter causas remotissimas meritò numeratur æris frigiditas, nec non lactantium errores, in regulas bonæ diætæ commissi, (si nimirum illæ mulierculæ cibus flatulentis, acidis & falsis indulgeant) tum quoque pasta nimis tenax, quæ, cum non possit subigi, facilè fermentescit, & acorem contrahit, præcipuè si meconium in primis viis adhuc hæreat. Ad di his potest lactis nimia ingurgitatio, quæ itidem lacti characterem acidum imprimit.

Inter signa torminum referendi sunt ejulatus atque jactatio corporis, ex quibus Medicus haud difficulter morbum haeriolatur.

Prognosis quod attinet, ideò periculosus est hic morbus, quia viam facilè sternit convulsionibus aut epilepsiâ.

In Curâ instituendâ ante omnia affectus hujus causæ inquirendæ sunt, Quodsi adfuerint flatus, clyster ex carminativis

vis





vis paratus exhibendus , idemque aliquoties repetendus est; 13  
salia autem hic exulare debent. Insuper oleum amygd, dulc, cum saccharo penidio, vel semina 4. carminativa pulverisata possunt dari in lacte vel pulte. *Exterius* ad dissipationem flatuum illini possunt regioni umbilicali olea calida cumini, carvi, anisi, anethi, aut imponi omentum atque intestina vervecis adhuc calida ex recens mactato animali extracta; item ad sistendum dolorem laudanum opiatum umbilico alligari potest. Nutrici simul imperandum, ut absteineat à cibis flatulentis, atque corpus benè muniat ab aëris externi injuriis. Quodsi verò ab humoribus acidis, pituitosis, acris, viscidis & biliosis tormina ortum suum trahant, præmissis vomitorio, humores illi absumentur absorbentibus: quibus addi possunt pulvis epilepticus Marchionis & cinnabarina alia ob metum convulsionum aut ipsius epilepsiæ.

Cognatus affectus est *Inflatio ventris & hypochondriorum*, 12. de Inflatione ventris & hypochondriorum. quæ Germanico idiomate audit *der Mist/ das Anwachsen*. In hoc casu totum infantum abdomen turget, reliquis membris ferè emaciatis, quoniam ventriculus & hypochondria flatibus distenta sunt.

*Oritur hic affectus* à flatibus, qui hæc loca occupant. *Causa ejus remotior* sunt cruditates in ventriculo contentæ, quando nempe infantes nimis voraces sunt, & lac neque vomitu neque secessu excernunt, maximè ii, qui lac vel vomere vel per alvum dejicere assueverunt: in quo molimine, ubi natura turbata est, cruditates, quæ alias excernebantur, retinentur.

*Symptomata* hujus affectus sunt 1. *febricula*: materia enim morbifica hæret in primis viis, quam materiam natura discutere conatur. 2. *pulsus celer* ob sanguinis impetuosiorum affluxum in arterias. 3. *respiratio difficilis*. 4. *color faciei plumbeus*: ex quibus symptomatibus desumuntur *signa diagnostica*.

*Affectus hic non adeò difficulter curatur*, modò diætæ regulæ probè à lactante observentur,

*In Curâ* Medicus opem suam dirigat ad causam morbigam. Si nempe à nimia lactis copia cruditates illæ & flatus ortum habeant, vomitorium & clysteres ex emollientibus



& carminativis admodum conducunt. Potest etiam propinari pulvis corallinus, vel elæofaccharum anisatum, vel Spiritus Salis Ammoniaci. Exterius oleis carminativis ventrem inungere licet, Quodsi verò inflatio orta fuerit à vitio lactis, lac corrigendum est per exactam nutricis diætam, & cura ferè eadem erit ac in casu priori.

13. de Alvi ad-  
strictione.

Quando verò nec debito tempore nec debito modo alvus exoneratur, infans *Alvi adstrictione* laborat, quæ est symptoma p. n. excretionis læsæ, ortum vel ab humorum, vel à partium, excretioni huic dicatarum, vel à scybalorum denique vitio.

*Pars affecta est intestinum rectum*, rectâ viâ ad anum tendens, atque ejusdem musculi, qui propter humores excrementitios non possunt, quæ in se continentur, excernere.

*Causa ultima & immediata est nimia constrictio musculorum ani.* Constringuntur autem ex variis causis, modò *secundam Galenum* à materiâ & humoribus adultis, crassis & viscidis, qui sua visciditate non possunt stimulare anum: viscidi autem & crassi humores fiunt vel lactis vitio, vel vitio ciborum adstringentium, vel vitio pulcicula: nimis diu ad ignem relicta: modò *juxta Willisum* ab humoribus ab acido coagulatis & inertibus redditis, vel à lymphatici humoris absentia, qui à glandulis intestinorum depluens ea irrigat & lubricat, vel à spirituum animalium in nerveis intestinorum fibrillis defectu, quorum iufluxu cessante motus necessariò cessat.

*In formandâ prognosi* rursus respiciendum ad causas: majori enim attentione opus est, si à visceris cujusdam vitio, quam si à lactis culpâ alvi adstrictio provenierit.

*In Cura* itaque Medicus probè ad causas animum advertat: & quidem si *alvus suppressa est propter humores viscidos copiosos*, quibus fæces obvolvuntur, laxans quoddam exhiberi potest, & deinde clyster applicari. Si verò alvus adstricta est à frigore externo & siccitate, corpus fomentis foveatur: decoquantur nempe radix althææ, malvæ, parietariæ, mercurialis, & exterius corpus inungatur unguento dialthææ, pinguedine gallinæ & butyro haud salso. Si autem *bilis in causa est, ut*  
vel





13  
vel deficiat, vel minori quantitate adsit, possunt decocta ex radice asparagi & petroselini & graminis adhiberi: si iners bilis est, ea in pristinum statum reducenda est, & acuenda per clysteres emollientes supra memoratos; sed cavendum, ne aciores clysteres adhibeantur, quippe qui facile intestina erodunt. Si vitium hæret in nimia constrictione fibrarum muscularum ani, suppositoria locum habent, ut & linimenta. Suppositoria autem possunt formari ex stercore muris, adipe hircino, & butyro non salito, aut solo butyro non salito eodemque aquâ probè macerato. Linimentum solet parari ex oleis emollientibus & unguento dialtheæ, quo partim anus, partim umbilicus inungi potest.

Licet infantes satis conveniens alimentum assumpserint, sæpe tamen totum corpusculum, excepto abdomine, emaciat. Hic affectus *Atrophia* vocatur, Germanis das Abnehmen der kleinen Kinder. 14. de Atrophia.

Est autem *Atrophia* corporis extenuatio, orta ab obstructione glandularum mesaraicarum, conjuncta cum insigni distensione & duritie abdominis.

*Pars affecta* in hoc morbo sunt glandulæ mesenterii, quæ immediatè adjacent vasis lacteis tum primi, tum secundi generis, atque chylum percolant.

*Causa ultima & immediata* est obstructio glandularum mesenterii, quæ provenit vel à vitio lactis, vel à vitio primarum viarum. *A vitio lactis*: si lac falsum, acidum atque caseosum sit, ut probè filtrari nequeat, sed stagnet & corrumpatur: inde namque fit, ut partes lactis nutritivæ remaneant, ac solæ ex particula, quæ parùm nutriunt, per corpus diffundantur. *A vitio primarum viarum*: si 1. ventriculus ob vitiosos humores lac non satis digerat; tunc enim lac crudum & semicoctum per glandulas modò dictas transire nequit. 2. si hepar bilem, quæ chylum diluit & à putredine præservat, non benè segreget; vel denique 3. si succus pancreaticus acidæ naturæ sit, & lac in coagulum redigar. Hinc ergo patet, quid de stolidâ illâ vulgi, hunc affectum Dæmonibus adscribentis, opinione sit habendum: quamvis enim vel maximè omnes



omnes causas supernaturales non rejiciamus, ad eas tamen non confugiendum est, ubi naturales suppetunt.

*Signis diagnosticis* in ipso quidem morbo opus nequaquam habemus, cum ex aspectu ægri sub sensus cadat affectus. *Periculosissimus* est aliàs *hic morbus* & *plerumque lethalis*, non tamen ita comparatus, ut omne Medici auxilium respuat. Ante omnia autem in eo curando primæ viæ purgandæ, præsertim si repletæ sint saburrâ vitiosorum humorum; si verò penes lac culpa hæreat, nutritrix vel mutanda vel eò adigenda est, ut assumat oculos cancrorum, testas cochlearum præparatas, anisum & fœniculum in conveniente quodam liquore, aut Spiritum Salis Ammoniaci ad guttas 15. 20. imò ad 24. in cerevisiâ. Quodsi adsit scorbutica quædam dispositio in lacte, lactans bibat serum lactis, cui incoctum est nasturtium aquaticum, vel decoctum chinæ, sarsaparillæ, radicis scorzonæræ, agrimonix, salviæ, veronicæ, rasuræ C. C. fantali citrini & passularum minorum, Insuper sumat infans itidem oculos cancrorum præparatos, corallia rubra præparata, & anisum, ut lac vitiosum corrigatur, & acidum prædominans absorbeatur atque temperetur. Vt autem glandulæ mesaraicæ obstructæ referentur, commendari potest Tartarus vitriolatus. Laudant etiam, quibus magis vulgaria placent, in hunc usum aquam destillatam de pulmonibus vulpis, grana betonicæ in pulte vel alio vehiculo exhibenda, ut & aquam destillatam hederæ. *Exterius* locum habent pulvis hederæ cum axungia gallinæ subactus, aut magma, quod colligitur in vortice ferreo rotæ molaris, quæ abdomini inungenda sunt. Porro prostat unguentum dialthææ, vel potest ex butyro non salito, adipe porcino, sevo hircino, leni igne liquefactis, addito oleo ceræ, unguentum fieri. Nec caret usu oleum Philosophorum; item emplastra: ut sunt emplastrum de meliloto, ac emplastrum de spermate Ceti. Quæ verò atrophia à fascino illata est, non potest curari nisi jejuniis & precibus devotissimis, secundum dictum Christi Matth. 17. 21.

*Diatam* interim lactans observet exactam, ut fugiat cibos viscidos & obstructentes, ut & vitam sedentariam, motuique studeat, ut chylus facilius per glandulas mesaraicas moveri possit.

Et hæc de Infantum recens natorum morbis dicta sufficiant! Plura enim addere Dissertationis hujus Academicæ limites non permittunt. Interim DEO T. O. T. M. summo Archiatro pro gratiâ, quâ hætenus instituto nostro assistere voluit, immortales in seculorum secula grates devoti persolvimus.

T A N T V M !




Straßburg, Med. Diss., 1. Ambodick-  
Beuche

X. 241 8820









B. C. D.  
DISSERTATIO MEDICA  
INAUGVRALIS  
DE  
MORBIS INFAN-  
TVM RECENS  
NATORVM,

Quam,  
*Summo Archiatro DEO adjuvante,*  
ex Indultu Amplissimæ & Gratosissimæ  
Facultatis Medicæ,  
*in Almâ Vniuersitate Patriâ,*  
pro summis in arte Asclepiadeâ privilegiis & juribus  
Doctoralibus ritè consequendis,

*Solenni examini*  
horis locoque solitis  
subjicit

*d. 30. Maji, Anno 1711.*

CASPAR DANIEL BARTENSTEIN,  
Argentinenfis.

---

ARGENTORATI,  
Literis DANIELIS MAAGII.